



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio quarta. Vtrum racices peccandi bene assignentur à Magistro on
litera.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

causaliter potest etiam quod homo non potest apud deum sic mereri de condigno proprie sicut meretur vnus homo apud alium: & maxime remuneratio qua remuneratur a Deo sola bona voluntas hominis sine actu exteriori est sic de congruo ex gratuita dei ordinatione quod minimum videtur habere de merito condigni, & in merito quod est hominis ad hominem per solum actum interiore nullus meretur aliquid de condigno.

6 AD Primum argumentum dicendum quod actus interior & exterior sibi coniunctus remunerantur vnica remuneratione, sicut sunt vnū meritū quod conficitur causaliter, & radicaliter in actu interiori & formaliter in actu exteriori. Actus autē interior sine exteriori remuneratur, a deo magis ex suo beneplacito quam ex aliquo merito de condigno.

7 Secundum argumentū bene probat quod in solo actu interiori non conficitur totum meritum, alias superflueret actus exterior, imo totum meritum formaliter conficitur in actu exteriori licet dependeat radicaliter & causaliter ab actu interiori, cum autē solus actus interior remuneratur a deo magis est ex benignitate quam ex merito actus. Quod autem dicit beatus Bernardus quod bona voluntas sufficit ad meritum, intelligendum est de merito prēmii essentialis, & de benignitate dei magis quam ex condigno interioris actus, bona autem actio requiritur non solum ad exemplum, sed etiam ad meritum accidentale. Quod autem dicit Chrysostomus, quod sola bona voluntas &c. pro tanto dicit, quia ipsa est radix & causa merendi respectu cuiuscumque operis.

QUESTIO TERTIA.

Vtrum transeunte actu peccati remaneat reatus pœnæ.

TERTIO queritur vtrum transeunte actu peccati remaneat reatus pœnæ. Et videtur quod non, quia remota causa remouetur effectus, sed actus peccati est causa reatus, ergo transeunte actu non remanet reatus. Si dicitur quod reatus causatur a peccato vel ab actu peccati vt præteritus est, contra actus postquam præterit non potest non esse præteritus, si ergo reatus causaretur actu vt præteritus, non posset non manere reatus quod falsum est.

2 **IN CONTRARIUM** est, quia sicut se habet actus virtutis ad prēmium, sic actus peccati ad pœnā, sed transeunte actu virtutis remanet meritum gloriæ, ergo transeunte actu peccati remanet reatus pœnæ.

3 **RESPONSIO.** Peccatum transire potest intelligi dupliciter. Vno modo per solum actus cessationē. Alio modo per peccati dimissionē. Primo modo transeunte actu peccati per solā cessationem remanet reatus. Cuius ratio est, quia defectus iustitiæ inter duas personas semper causat debitum in altera vt de ipsa vel per ipsam suppleatur, sicut apparet in commutationibus voluntariis, qui enim emit, & pretium non reddidit debitor est quousque reddiderit. Et idē est in voluntariis, qui enim per vim rem alterius accepit debitor est eius, & tenetur de re ablata & iniuria, quia duplex defectus iustitiæ est ex parte raptoris. Et vniuersaliter ex defectu iustitiæ cōsurgit obligatio vt suppletur per eum, vel de eo qui iustitia non cōpleuit aut legit, sed omnis peccans legit iustitiam inter se & Deum, & in quantum transgreditur legem dei cui ex iustitia tenetur obedire, ergo debitor est eius per quod iustitia inter ipsū & Deum reintegretur, hoc autem est pœnā, ergo peccator transeunte actu peccati remanet debitor pœnæ. Et in hoc consistit reatus, quod autem per pœnā reintegretur iustitia apparet, cum enim iustitia in æqualitate consistat iustum est vt peccator qui voluntati suæ plus indulget quod debuit contra mandatum Dei agendo, pariatur contra illud quod vellet spontaneus vel inuitus, quia sic redit æqualitas per hoc quod aliquid aufertur ei qui nimis habuit, & aliquid additur ei qui minus habuit.

4 Alio modo dicitur peccatum transire non solum per actus cessationē, sed per peccati remissionē, & sic dico quod si peccatum est totaliter remissum, nullus reatus omnino remanet. Cuius ratio est clara ex his quæ dicta sunt supra dist. 21. q. 1. ar. 1. vbi probatum fuit quod peccatum remitti non est aliud quam ipsum non imputari ad pœnā, cui ergo pecca-

tum est totaliter remissum illi peccatum non imputatur ad debitum cuiuscumque pœnæ, sed reatus non est aliud quam debitum pœnæ, ergo cui peccatum est totaliter remissum in eo non remanet aliquis reatus. Verum est quod quando peccatum remittitur quoad debitum pœnæ æternæ, & fit commutatio in pœnā temporalem, sed tunc peccatum non est totaliter remissum, quia adhuc imputatur ad pœnā aliquā & remanet aliquis reatus, dicitur tamē simpliciter remissum licet non totaliter, quia omnis pœnā temporalis est pœnā secundum quid per comparationem ad æternam.

5 Ad argumentum in oppositum dicendum quod peccatum est causa reatus non ratione actus dū fit, nec ratione eiusdem inquitum præterit, sed quia inducit defectum iustitiæ quo manente remanet reatus, & quo sublato per reintegrationem iustitiæ aufertur reatus.

6 Ad argumentum in oppositum licet verum concludatur, assumit tamen pro simili quod non est omnino simile, scilicet quod per actum virtutis fit in nobis debita gloria ex iustitia sicut pro peccato debetur nobis pœnā, quod non est verum, nos enim ex iustitia tenemur Deo obedire & contra eam possumus facere, propter quod nos iuste punimur pœnā, sed Deus nobis non obligatur ex aliqua iustitia quantumcumque bene faciamus. Et ideo si quid reddit nobis, gratia est & non debitum.

QUESTIO QVARTA.

Vtrum radices peccatorum bene assignentur in litera a Magistro.

Thom. 1. 2. q. 84.

SECUNDO principaliter queritur, vtrum radices peccandi bene assignentur in litera. Et videtur quod non, quia illud ex quo aliquid nascitur potest dici radix eius, sed timor nascitur ex amore, ergo amor est radix timoris, non ergo timor distincta radix peccandi contra amorem.

2 Ad idem est quod dicit Aug. 14. de ciui. dei, quod sicut amor dei facit ciuitatem dei, sic nimis amor sui facit ciuitatem Babylonis, ergo solus amor malè inflammans est radix omnium peccatorum.

3 Item ad Tim. vlt. dicitur quod radix omnium malorum est cupiditas, & idē dicitur Eccl. 10. de superbia, quod in initio omnis peccati est superbia, & sic videtur esse circulario, quia superbia erit ex cupiditate & contrariio.

4 Item multa peccata sunt que non habent originem ex prædictis sicut illa que sunt per ignorantiam, ergo inuisibiliter enumerantur radices peccatorum.

5 **IN CONTRARIUM** est Magister in litera.

6 **RESPONSIO.** Radix inuenitur proprie in plantis, transumptio autē in peccatis, propter aliquam similitudinem hic & ibi repetitā. Radix enim in plantis proprie dicta est illud ex quo planta cōsurgit, fomentum habet, & conualescit, similiter in peccatis illud ex quo peccatum germinat, vel cōsurgit, fomentum habet, & conualescit, dicitur radix peccati, peccatum autem cōsurgit vel oritur quandoque quidem ex alio peccato, vt dictū fuit supra dist. 36. q. 1. Quandoque autem ex aliquo quod non est peccatum, sed est pronitas ad peccandū que potest esse, vel innata, sicut ex corruptione peccati originalis inest nobis pronitas ad mala, vel potest esse acquisita, sicut ex habitu vitioso causato ex actibus inest nobis pronitas ad operandum secundum illum habitum, sed quia habitus causatur ex actu, ideo origo peccati ex inclinatione habitus reducit ad originem peccati ex peccato propter quod dimittitur & solū dicitur de aliis duobus. Et primo cum peccatum oritur ex aliquo quod non est peccatum, sed pronitas ad peccandū non quecumque, sed innata ex corruptione nature per peccatum originale.

7 De quo dicitur sic communiter quod radices peccandi sunt cupiditas & superbia, nisi quod distinguitur de vtroque, vtrumque enim potest accipi tripliciter. Vno enim modo dicitur cupiditas inordinatus appetitus diuitiarum, & superbia inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, & sic quodlibet eorum est speciale peccatum. Secundo modo dicitur cupiditas inordinatus appetitus cuiuscumque que boni commutabilis, & similiter superbia dicitur contemptus legis, quoad hūc effectū qui est non obedire legi: & hoc modo cupiditas & superbia sunt aliqd cōmune ad omne

In. 4. d. 11.
quest. 5.

omne peccatum, nam in omni peccato est inordinata cōuerſi ad bonum cōmutabile, & ideo cupiditas est deuiatio à lege diuina, & ideo superbia. Tertio modo dicitur cupiditas quedā pronitas nature corrupte ad bona corporalia inordinatē appetenda, & similiter dicitur pronitas ad contemptū legis dei, & hoc modo cupiditas dicitur radix omni peccatorum, quia ex inordinata inclinatione vel pronitate ad bona cōmutabilia omne peccatum procedit. Superbia verò dicitur initium peccatorū & non radix, quia se tenet ex parte auersionis à deo cuius legi homo subdi recusat, ideo initium dici potest, sed non radix, quia radices est influere posituē, ex parte autē auersionis nullus est influxus ex qua parte attenditur superbia isto tertio modo accepta. Hęc autē licet sint vera, tamen non sunt secundum intentionē Apostoli dicentis ad Timotheum quod radix omni malorum est cupiditas, nec secundum intentionem sapientis in Ecclesiastico quod initium omni peccati est superbia. Apostolus autē manifeste loquitur de cupiditate secundum quod est appetitus inordinatus diuitiarum. Quod patet ex his quę præmittit, qui (inquit) volunt diuites fieri incidunt in laqueum & in tentationē diaboli. Similiter sapiens qui di. Eccl. 10. quod initium omni peccati est superbia, manifeste loquitur de superbia prout est inordinatus appetitus proprię excellentiæ, vt patet per illud quod subdit, sedes Ducum superborum destruxit Deus, & quedam similia. Et de hac materia loquitur per magnam partem capituli.

¶ Et ideo superbia & cupiditas quę sunt specialia peccata sunt etiā radices aliorum peccatorū, vel initia eorum secundum intentionē scripturę in locis prædictis, quod autem dictum est de cupiditate & superbia prout sunt pronitates nature corrupte & inordinatę ad concupiscendū, ad corruptibilia, & ad cōtemptum legis diuinę adinuentio aliquorū fuit, quę quantum sit vera, nō est tamē secundum mentē scripturę sicut dictum est, & ideo alii dicunt quod cupiditas & superbia prout specialia peccata sunt radices & initia aliorum peccatorū, quod declarant sic. In actibus voluntariis cuiusmodi sunt peccata duplex ordo inuenitur, scilicet intentionis & executionis, in ordine intentionis, finis habet rationē principii ex quo totus processus deriuatur, sed in ordine executionis illud habet rationem principii quod præbet facultatē perueniendi ad omne intentum. In ordine ergo intentionis superbia est initium, vel radix omniū vitiorum, sed in ordine executionis principii & radix est cupiditas, quod probatur primo de superbia sic, ex illo oriuntur oia vitia quantum ad ordinē intentionis quod est finis propter quę appetuntur omnia quę inordinatē appetuntur, sed superbia est huiusmodi, finis enim omnibus cōmutabilibus bonis appetendis est vt homo eis vtatur propter se, vnde & nos sumus quodammodo finis omnium quę veniunt in vsum nostrū. Propter quod si amor hominis ad seipsum est inordinatus ex ipso oriatur omnis inordinatus appetitus bonorū cōmutabilium. Superbia autē est inordinatus amor proprię excellentiæ ad quā obtinendam omne bonum cōmutabile potest aliquid cooperari, ergo ex superbia nata possunt oriri vitia oia. Et idem est de inordinato amore sui, ad idē enim pertinet vtrunq;. Timor autē male humilians licet possit dici proxima radix aliquorū peccatorū, tamen nō potest esse prima, semper enim oritur ex amore sicut arguebatur, ex eo enim quod aliquid malē diligunt oia impediuntur malē timētur. Quod autē in ordine executionis cupiditas sit radix, patet sic, illud quod præbet facultatē adimplendi omne malum desiderium, est radix & origo omniū peccatorū, sed diuitiū quarū appetitus est cupiditas sunt huiusmodi eo quod ad habenda quęcūq; bona cōmutabilia potest homo inuari pecunia, secundum quod dicitur Eccl. 10. pecunię obediūt omnia, ergo cupiditas diuitiarū est radix omniū peccatorum.

¶ Hęc autē omnia licet sint subtiliter dicta & probabiliter, tamen non vidētur sufficienter dicta: quod patet primo de superbia, quāuis enim inordinatus amor sui sit vel esse possit principium inordinatē appetendi omnia cōmutabilia, & ob hoc secundū Aug. amor malē inflammās possit esse principium aliorum peccatorū, tamen non potest hoc dici de superbia, quia ad plura se extendit inordinatus amor sui quā se extendat superbia quę est inor-

dinatus amor sui quoad excellentiam proprię personę, ex hoc enim quod aliquis inordinatē diligit se, sequitur vel natum est sequi quod inordinatē appetat vel fugiat omnia quę existimat sibi bona vel nociua, & hęc sunt vel esse possunt omnia simpliciter, & ideo omne peccatū potest ex hoc oriri, sed ex inordinato appetu proprię excellentię in quo consistit formaliter superbia non est natum sequi, nisi quod inordinatē appetantur, vel fugiatur illa quę promouent, vel impediunt propriam excellentiam. Hęc autem non sunt omnia quę malē appetuntur vel fugiuntur. Delectationes enim turpes quę malē appetuntur per intemperantiā non promouent excellentiam, nec existimantur etiā à superbis eam promouere, pena etiā & tristitia quę turpiter fugiuntur per timiditatem non impediunt, nec existimantur impedire propriam excellentiam, propter quod huiusmodi peccata quę consistunt in appetitu delectationis turpium, & in fuga tristitium in rebus bellicis nō videntur oriri ex superbia quę est appetitus proprię excellentiæ, quāuis ordinentur siue oriatur ex inordinato amore sui. vnde in argumēto est fallacia cōsequentię. Similiter quod dicitur de diuitiis quarū inordinatus appetitus est cupiditas & quod ipse præbet facultatem adimplendi omne malū desiderium, cōcedatur, sed ex hoc nō sequitur quod cupiditas sit radix vel origo omniū peccatorum, sed potius oppositū, quia diuitiæ nō præbent facultatē adimplendi mala desideria, nisi per sui distributionem: cupiditas autē nō est appetitus eorū ad distribuendum eas, sed ad congregandū & retinendum, & ideo cupiditas diuitiarū magis impedit affectionem malorū desideriorū quę per distributionē pecuniarū possent impleri quā ad hoc inclinēt, vel promoueat.

10 Et ideo dicendum est aliter: videlicet quod radix prima peccatorum est inordinatus amor sui: quę Aug. vocat amorem malē inflammantem. vnde ipse dicit alibi, quod nō sunt boni vel mali mores, nisi boni vel mali amores. Secundaria autē radix respectu aliquorū peccatorū est timor qui nascitur ex inordinato amore sui, & hęc sunt factis prius declarata. De superbia autē quę est inordinatus amor proprię excellentiæ, de qua scriptū est quod ipsa est initium omniū peccati, fortē intelligendum est de ordine temporis, quia primū peccatum angeli & hominis fuit superbia, vt patuit supra, cum ageretur de eorū peccato, & nō de ordine causalitatis saltem vniuersalis. Item vera litera est, initium peccati est omnis superbia, & nō initium omniū peccati est superbia, quia ex omni superbia nata sunt sequi aliqua peccata: superbus enim necesse habet aliū inuidere, vt dicit B. Aug. & sic est de quibusdā aliis peccatis quę oriuntur ex ea, & ideo subditur in textu, qui tenet eam adimplebitur maledictis, sed ex ea nō sunt nata oriri omnia peccata, vt probatum est prius.

11 De cupiditate autē quę est amor inordinatus pecuniarum potest dici quod est radix omniū malorum, nō quia pecunię præbeant facultatem adimplendi omne desiderium malum (vt alii dicunt) sed quia ardētior amator pecuniarum animā suam venalem habet, vt dicitur Eccl. 10. Et ideo omni offerenti pecuniam obediret ad omne malum cōmittendum, & omne bonum fugiendum. Si enim pecunię obediunt omnia, multo magis cupidus. Verum tamen non est prima radix, quia & ipsa oritur ex inordinato amore sui.

12 Et per hoc patet responsio ad argumenta præter quā ad quartum, ad quod dicendum est quod peccata non oriuntur ex errore vel ignorantia, nisi sicut à causa remouente prohibens, tunc enim dicitur peccare quis per errorem vel per ignorantiam quando si sciret peccatum, vel aliquid tale non faceret, error ergo vel ignorantia causat culpam solum, quia tollit scientiam quę prohiberet culpam fieri, causa autē remouens prohibens (cum non sit causa per se, sed per accidens) nō dicitur proprię causę, nec proprię cadit sub arte, propter quod ignorantia, vel error nō dicitur proprię radice vel initium peccati.

Sup. d. 22.
q. 4. Et. 7.
1. 2. q. 27.
471. 3.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum vitia capitalia bene distinguantur per se: preter quę sunt superbia, auaritia, &c.

TERTIO principaliter quæritur, de diuisione peccatorum, & comparatione eorū. Et primò quæritur